



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

101. Infans fuit propter necessitatem baptizatus, v. g. in capillis, manu, pede, &c. quæritur, an postea dum rebaptizatur in Ecclesia sub conditione, Patrinus contrahat cognationem spiritualem? Et ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

solo Catechismo, & quod puer fuit in domo baptizatus? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 259. aliis 260.

hoc  
cuius pro-  
p. finem  
Kaf. praece-  
ntia.

**H**ic casus in praxi saepius solet accidere; ideo notandum est; quod tale impedimentum contrahitur, quando quis tenet aliquem in Catechismo, qui solet praemitti Baptismo, respondendo ejus nomine Sacerdoti interroganti, an credat, an renunciet diabolo, &c. Sed nota, quod quando haec caeremonia solet baptismum comitari, communiter fit idem, qui tenet in Catechismo, & in Baptismo; tamen quandoque sunt diversi, ut quando in necessitate puer subito ab obfetrice baptizatur, & caeremonia postea in Ecclesia suppletur, tunc enim quis instat Patrini pro eo respondet & tunc talis ex c. 2. de regener. spirit. in 6. contrahit impedimentum Catechismi non dirimens, sed impediens. Hoc supposito, quaritur an hodie contrahatur hoc impedimentum; vel sit sublatum per Concilium Tridentinum sess. 24. c. 2. de reform. matrim. Aliqui negant esse sublatum. Ita tenet Palatius in 4. dist. 42. quest. unic. & Bartholomaeus de Ledema de Matrim. dub. 46. in priori editione, & alij, qui post Tridentinum scribentes, affectum esse impedimentum, ut Toletus, Vega, Lopez, Cuchus, Anglez, & alij, & ita ex neotericis Societatis Jesu, tenet etiam hanc sententiam Rebellius part. 2. lib. 3. q. 18. n. 20. & Valentia tom. 4. dist. 10. quest. 5. punct. 4.

2. Sed ego puto cum Basilio Pontio de Matrim. lib. 6. c. 11. num. 3. qui citat Sanchez, hoc impedimentum esse sublatum per Concilium Tridentinum, ubi in Baptismo, vel Confirmatione vult tantum contrahi cognationem spiritualem inter baptizatum, ejusque patrem, & matrem ex una parte, & baptizatum, ac susceptores ex fonte ex alia parte, omni alia cognatione spirituali sublata: verba Concilij sunt haec, *Omnia inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublata*, Et quia existimare aliquis posset Concilium solum agere de impedimento cognationis spiritualis provenientis ex Baptismo, quod vult non extendi ad alias personas, sicut olim extendebatur, ideo Pontius adducit declarationem sacrae Congregationis, quae Concilij sensum esse hunc, quem diximus, aperte demonstrat, sic enim habet. Qui in Ecclesia fuit praesens ei, qui domi verè fuit baptizatus, si deinde in Ecclesia fuerunt servatae solemnitates, nullam cognationem spiritualem contraxit. Itaque committantur Ordinario, ut si legitimis probationibus competet D. N. filium prius fuisse baptizatum, declaret nullum inter N. ipsum, & dictum filium adesse impedimentum cognationis spiritualis. Ita sacra Congregatio, Et hanc opinionem esse probabilem; tenet Coninch. de Sacram. disp. 30. dub. 3. num. 24. & illam tenet etiam Fillidius tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 9. num. 273; & Villalobos in summa, tom. 1. tractat. 14. disp. 2. num. 5.

3. Sed quia contraria opinio est etiam probabilis, deducit Sanch. de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 10. num. 13. expedire, ut Parochus describat in libro (quem habere debet ad describendum nomina patrinorum, juxta Tridentinum sess. 24. de matr. c. 3.) an sint illi patrimi in solo Catechismo, quod puer sit jam domi baptizatus. Ita Navarrus, & alij. Et quamvis hi non explicent, an Parochus ad id teneatur, at existimo eum teneri, quia Tridentinum patrinorum nomina describi jubet, quo sciatur, qui cognationem spiritualem contrahant, ne matrimonio inique contrahantur. At latissima est differentia,

Tom. 1.

num in baptismo tenuerint, an in Catechismo. Nam priori casu est impedimentum dirimens, posteriori autem ad summum impediens, & juxta nostram sententiam est nullum impedimentum. Unde non fideliter id describeret Parochus, nisi annotaret solius Catechismi patrimos fuisse, defraudaret enim Concilij intentionem, ansamque praerberet dissolvendi matrimonia valida, cum eo solo impedimento inita, cujus ego testis sum oculatus in casu Granatae contingenti. Haec Sanchez. Verum Gutierrez de Matrim. c. 84. man. 7. praecise, & in rigore non videtur hoc onus sub peccato mortali Parochis imponere.

RESOL. CI.

*Infans fuit propter necessitatem baptizatus, v. g. in capillis, manu, pede, &c. quaritur, an postea dicitur rebaptizatur in Ecclesia sub conditione, Patrimus contrahat cognationem spiritualem?*

*Et hoc procedit in omnibus casibus, in quibus necesse est rebaptizare puerum sub conditione.*

*Et an hoc etiam procedat in praedictis casibus in rebaptizante?*

*Et an si quis v. g. teneat ut Patrimus filium Petri, credens esse Pauli, contrahat cognationem spiritualem?*

*Et quid sit dicendum de uxore, quae per ignorantiam levat filium mariti, &c.?*

*Et an maritus, & uxor possint absque ullo peccato esse Patrimi aliena prolis? Ex part. 1 r. tr. 8. & Misc. 8. Refol. 57.*

**Q**uestio curiosa, & procedit in omnibus casibus, in quibus necesse est rebaptizare puerum sub conditione, ideo ad illam sic respondet Diecastillus de Sacr. tom. 3. tr. 10. dist. 27. n. 260. Si non omnino moraliter certum sit priorem Baptismum validum fuisse, & ideo infans rebaptizetur sub conditione, contrahitur cognatio, & consequenter non potest contrahi matrimonium inter personas alias in Baptismo certo impeditas, quia dum non constat de Baptismo praesumit Ecclesia cognationem; cessabit autem talis praesumptio, si postea constet Baptismum esse validum.

2. Ex quo inferitur, quid dicendum sit, quando quis rebaptizatur eo quod nondum integre natus, fuerat baptizatus; tunc enim (quidquid alij dicant) si baptismus collatus fuerit prius in ea parte, ubi ita certum sit eum fuisse validum, ut non sit sub conditione iterandus, ex priore Baptismo contraheretur cognatio, non ex posteriore, & contra verò si inter doctos sit dubium aut questio, an in ea parte collatus Baptismus valeat, eadem dubitatio erit pro cognatione spirituali. Si verò sint pro utraque parte opiniones probabiles, quarum altera neget valere priorem baptismum, altera affirmet, poterit tuta conscientia quis utramvis eligere, & secundum unum probabile erit ex tali Baptismo non oriri cognationem. Quod totum mihi placet, quamvis haec omnia non tam pertineant ad Patrimus, de quo nunc agimus, quam ad baptizantem. Nam in tali Baptismo vix aut nunquam potest, aut solet esse mentio nedum praesentia Patrimi. Ita Diecastillus, & ego.

3. Sed hic quaero primo, an si quis verbi gratia teneat ut patrimus filium Petri, credens esse Pauli, contrahat cognationem spiritualem? Negativè respondet ex Sanchez Reginald. tom. 2. lib. 3. n. 155. & alij. Quia revera hic non intendebat exercere

F 3 actionem

Sup. hoc  
cursum su-  
pra in dua-  
bus ult. litt.  
Refol. 99.

ANTON  
Opera  
Tom. 10 II  
E III

hoc  
hic  
tur, &  
incipio  
Supra  
cl. 96  
Notan-  
est hic  
erquod  
Refol.  
6. Dist.  
as, & in  
ol. 98. i  
io 9. 1.  
Venim.

hoc  
is lare  
Ref. seq  
ro con-  
in dua-  
ultimis  
huius  
inf. in  
ol. 107.  
is late

actionem erga hunc, quem levavit; ergo deficit intentio. Hæc enim ratio non probat, facile enim responderetur, putare quidem illum esse filium Petri, & non Pauli: nihilominus intentionem dirigi ad eum; qui hic, & nunc illi proponitur, sicut in simili de baptizante dicebat opposita sententia; Et ideo alibi diximus errorem personæ in cæteris Sacramentis; præter matrimonium, non irritare sacramentum; Unde videtur colligi, causari etiam effectum inde resultantem qualis est hic, de quo agimus; & eadem ratio locum habet pro Patrino, qui dirigit intentionem ad eum, quem levat de præfenti.

4. Verum contra hoc opponit Sanchez, quod Ministri Sacramentorum teneantur habere intentionem ministrandi Sacramentum præfenti, quicumque ille sit; ac proinde quamvis erretur in persona, cum verus sit Baptismus, vera cognatio contrahitur, Patrinus verò non tenetur habere eam intentionem, & verè elicitur ad personam determinatam.

5. Hanc opinionem, quam mordicus contra me sustinebat quidam Theologus his diebus, ego puto satis probabilem, sed non recedo à sententia affirmativa, quam olim docui, & quam tuetur Martinus Perez de Matrimonio, disputat. 29. sect. 4. num. 4. Dicastillus ubi supra num. 271. & aliis penes ipsos.

6. Probatur; quia iste error non est circa substantiam actus, sed circa accidentia. Unde susceptor non secus, ac baptizans solum habere debet intentionem suscipiendi eum, quem hic, & nunc habet tunc præfentem; atque adeo sicut ea intentio satis est, ut baptizans eum præfentem baptizet, etiam cum simili errore ita similiter ea intentio est sufficiens, ut Patrinus verè suscipiat. Excipitur tamen casus peculiatit de uxore, quæ per ignorantiam levavit filium mariti, de quo est expressa juris decisio cap. 2. de cognatione spirituali, ubi dicitur, Conjugem, qui per ignorantiam levavit filium mariti, non arceri à debiti petitione. Cum enim id superveniat Matrimonio contracto, non mirum si ignorantia excuset à cognatione. Itaque non est cur negemus, quod sicut baptizans debet habere intentionem baptizandi illum quem præfentem habet, talemque censetur habere, quoties non habet intentionem contrariam, ita similiter tenens, seu levans è fonte Sacro, debeat velle tenere, & levare illum, quem præfentem habet, idque censetur velle quoties non habet oppositam voluntatem. Et ideo hanc sententiam me citato tenet Leander de Sacrament. tom. 1. tractat. 2. quest. 28.

Sup. hoc in  
Resol. seq. à  
lin. 3.

Sup. hoc  
pra in §. 1.  
Res. 94.

7. Quæro secundò, an maritus, & uxor possint absque ullo peccato esse Patrini alienæ prolis: In tali casu peccare venialiter Suarez in 3. part. q. 67. art. 8. Filiuc. tom. 1. tract. 2. num. 161. Sed ego puto supradictos posse absque ullo peccato esse Patrinos, nisi aliàs in aliqua Diocesi jure speciali sit prohibitum. Primò, quia id nullibi prohibetur, ut fatetur Urbanus Secundus in cap. final. 30. quest. 4. Secundò, quia quamvis idem Pontifex in eodem capite videatur statuere quod non sint Patrini; hoc tamen non prohibet sub præcepto, vel si prohibet non esse usu receptum; vel potius esse sublatum per Concilium Tridentinum. Et ita ex Vasquez, Layman, Hurtado, & aliis docet Leander de Sacrament. tom. 1. tractat. 2. disput. 7. quest. 20. Et tandem in hanc sententiam vellet, nollet, descendit Dicastillus de Sacramentis, tom. 3. tractat. 10. disputat. 57. dub. 27. num. 271. ubi sic:

Adverto cum Suariorum probabilius esse quod si maritus, & uxor alienum filium de sacro fonte levant, peccent saltem venialiter. Quia Urbanus Secundus in cap. Quod autem trigesima, quest. 4. quamvis dicat nulla auctoritate id reperiri prohibitum: Ipse tamen potens tunc id prohibere, sic decernit, ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe, & infamia conservetur immunis, dignum esse decernimus, ut utrique in simul ad hoc aspirare minimè præsumat. Non putat verò Suarius, & ex illo Perez disputat. 29. sect. 5. num. 3. esse gravem culpam propter levitatem materiæ, quod propter eorum, & aliorum auctoritatem non a sum improbare; sed ut verum fatear, verba Pontificis grave quid sonant tum ex fine, ut puritas, &c. ab omni labe, & infamia, &c. tum ex ipsorum verborum significatione. Nam labe, infamia, præsumptio, & similia verba non sum memor in legibus (maximè Canonis) pro rebus levibus usurpari, aut levibus actionibus tribui; utcumque sit illud, placet quod Glossa ad eum Textum notat (nec alieni sunt ab hoc prædicti Auctores) nempe consuetudine posse fieri, ut omnino liceat, quia ut ait Glossa, de consuetudine est in quibusdam locis, quod uterque simul suscipit. Quæ ratione olim de hac re interrogatus hic in Germania pro casu occurrente, inter magnos imò supremos Principes censui posse fieri, quia jam sæpe constabat pridem factum in similibus. Hucusque Dicastillus.

## RESOL. CII.

An qui per errorem levavit filium Petri, existimans se filium Pauli levare, contrahat cognationem spirituales?

Et an conjux, quæ per ignorantiam levavit filium mariti, teneatur arceri à debiti petitione? Ex p. 3. tract. 4. Resol. 16.

§. 2. **N**egativè respondet Sanchez de Matrimonio tom. 2. lib. 7. disput. 58. num. 7. ex cap. 2. de cognat. spirit. ubi deciditur conjugem, quæ per ignorantiam levavit filium mariti, non arceri à debiti petitione, ex quo textu Abbas ibi num. 4. & Alexander de novo num. 6. colligunt requiri scientiam, & animum ad contrahendum cognationem.

S p. contento in hac Res. in præterita Res. à §. Sed hic quero, ut que ad §. Quæro secundò.

2. At his non obstantibus contrariam sententiam docent Basil. Pontius de Matrimonio, lib. 7. cap. 39. num. 9. ubi sic asserit: Si quis per errorem leverit filium Petri, existimans filium esse Joannis, revera contraxit cognationem, error enim ille non impedit fideiussoris, & partis spiritualis officium, quidquid alij dicant, est enim error personæ in hoc casu circa accidentalialia. Neque eadem ratio est de uxore, quæ per ignorantiam levat mariti filium; tum quia de eo est expressa juris decisio, ex quo totum impedimentum pendet; tum etiam, quia supervenit matrimonio contracto, & ita non mirum si ignorantia excuset à cognatione. Ita Pontius. Unde patet responsio ad argumentum quod Sanchez adducit, cujus sententia hoc non obstante probabilis etiam mihi videtur, & illam novissimè cum Sanchez tenet Villalob. in summ. tom. 1. tr. 14. diff. 19. n. 17.

RESOL.